VIRO. CLARISSIMO

FRIDERICO. CREUZERO

THEOL. ET. PHILOS. DOCT. MAGNO. DUCI. BAD. A. CONSIL. INTIM. PROF. PHILOLOGIAE. P. O.
ORD. LEON. ZARING. PRAEFECT. ACADEM. SCIENT. BEROLIN. MONACENS. PARIS. ALIARUMQUE
SODALI

QUI. ANTE. HOS. QUADRAGINTA. ANNOS. IN. HAC. UNIVERSITATE
MUNUS. PROFESSORIS. P. O. SUSCEPIT

OCTO. LUSTRA

FELICITER. PERACTA

EX. ANIMI. SENTENTIA

GRATULATUR

CAROLUS. LUDOVICUS. KAYSER
PROFESSOR.

PRIDIE. NON. APRIL. MDCCCXLIV.



AGITUR DE PINACOTHECA QUADAM NEAPOLITANA.

sive
de [illegible]

HEIDELBERGAE.

SUMTIBUS J. C. B. MOHR, BIBLIOPOLAE ACADEMICI.

Illuxit dies faustissimus, quo Tu olim Divi Principis Caroli Friderici cura Heidelbergae es datus, quo Tecum hac in Xylandri, Sylburgii, Gruteri sede renatae sunt litterae humaniores alto somno ante Tuum adventum oppressae. Tu recludens sanctissima antiquitatis penetralia, eloquentissimo ore atque intelligentia singulari illustrans quidquid habent veteres sublime, magnum, incomparabile, accendisti juvenes ad acerrima studia optimarum artium et per illos in multas terras sparsisti saluberrimae disciplinae semina. Cum plurimis Tuis alumnis ego in summis vitae meae bonis habeo, quod Te nactus sum magistrum. Praebuisti vero Te mihi etiam fautorem et amicum, qui post decursa academiae spatia non desineres dux et auctor studiorum meorum esse, simul domum nostram suavissima consuetudine complexus. Tecum actas horas inter seria et joca grata mente dum recordor, nil est, quod enixius a divino numine exoptem, quam ut Te animo hilarem, corpore bene valentem quam diutissime nobis conservet.

Pinacothecae Neapolitanae descriptio, quam exhibet in Iconibus Philostratus et olim et nostra aetate variis dubitationibus obnoxia fuit. Veluti per climacem ascendimus a rejectione ad fidem inconcussam. Rejecit enim has ἐκφράσεις, neque pro veris imaginum descriptionibus habuit olim Caylus [1], obsequentibus facile Klotzio [2] et Hagedornio [3]. Longe remotus a damnandi temeritate, sed incertus, utram in partem decerneret, fuit Heynius, qui multis Prolusionum academicarum paginis eas explicabat. Qui quum ait: „quaeri potest, verene ista porticus, publica an privata, et verene iste tabularum ordo in illa extiterit: qua de re nondum habemus, quod in alterutram partem judicium inclinet“ [4] non meminerat, quae ipse legisset; narrat enim scriptor, inventas a se illas imagines in domo privata hospitis, tabularum autem ordinem in libro alium antiquitus fuisse, satis cognoscitur ex verbis I, 17, ubi ut jam lectae descriptionis, I, 30 admonemur. Alibi scribit „omnino, si Philostratus veram tabulam ante oculos habuit, dubitari potest, an recte Comum exhiberi censuerit“ [5]. Tota tamen, quam in hoc libro posuit, opera ad finem perducta

1) Caylus Hist. de l'acad. des inscr. T. 29. p. 156.

2) In praefatione Cayli Dissertationibus ad historiam et ad artem spectantibus in vernaculum versis praefixa, Tom. 2.

3) Cf. Betrachtungen über die Malerei p. 174, ubi ait: „Fünf und mehrmal vervielfältigt sich Merkur in einer Schilderei, welche Philostratus wenigstens für wahrscheinlich annimmt, weil er sie für wahrhaft ausgiebt.“ Ac sane Fr. Thierschius in recensione editionis Jacobsianae, Kunstblatt 1827. p. 69. sex scenas illius imaginis esse arbitratus est.

4) Heynii Opusc. acad. V. p. 15.

5) Id. p. 28.

haec viri clarissimi sententia est: „has imagines rhetoricis coloribus pictas adumbrare saltem antiqua artis monumenta, interdum etiam veris artis genuinae lineis“ additque „videmur nobis hoc saltem effecisse, ut nec nimium tribuatur his priscae artis simulacris, nec iis detrahatur omnis honos, cumque eo omnis auctoritas in illustrandis antiquis operibus“ [6]. Hanc Heynii sententiam amplexi sunt Torkill Baden, Boettiger, Zoega, Jacobsius [7]. Nostra aetate novum judicium protulit L. Preller [8], qui non negat, revera exstitisse imagines, quas describit Philostratus, sed inspectas ab ipso fuisse negat, uso descriptionibus Antigoni, Adaei, Polemonis, quas exornaret eloquentiae suae pigmentis. Hoc judicium Cayliano praeferendum est eo, quod a sophista non potuisse fingi tam egregia artis opera intelligit, at quum eum ex libris argumenta petiisse opinatur, hunc non satis nosse videtur, qui homo elegantior et in vitae varietate magis quam in libris versatus materiam scribendi ex illo fonte quam ex bibliothecis haurire mallet. Praeterea quadriennium cum pictore vixerat, Aristodemo Care [9], eo haud dubie consilio, ut ex viva, quod ajunt, voce ad scientiam artis proficeret et contubernio artificis uteretur ad cognoscenda et scite judicanda picturae monumenta. Etiam O. Jahn [10] recte statuit, descriptiones aliunde esse ductas atque ex sophistae ingenio, sed multa afficta putat, inprimis quae ad luculentiorem topographiam pertinent. Haud assentior, quum cogito, quae ejus generis eximia recensentur in hoc Imaginum volumine, magnopere illa probata Goethio [11], O. Muellero [12], Welckero [13]. Denique Radulfus Rochettus [14], vir artis veterum peritissimus minime dubitat de veritate

6) Id. p. 193.

7) Vide collecta Welckero in Judicio de Philostratis et de Callistrato, p. LIV ed. Jacobsianae.

8) Fragm. Polemonis p. 198.

9) Vide p. 763. ed. Ol. 4, 6 ed. Jacobsianae.

10) In dissertatione „Pentheus und die Mänaden“ p. 8: „Die glänzende Staffage, welche wir bei Philostratus finden, und der Phantasie des Rhetors wohl hauptsächlich zuzuschreiben haben, wird kein Kundiger in den Werken der alten Kunst, welche auf uns gekommen sind, suchen, sondern anspruchlose Einfachheit in allem Beiwerk mit Recht erwarten.“

11) Göthe's Werke, Stuttgart und Tübingen, 1840. Tom. 30. p. 403 sqq.

12) Archaeologie p. 702.

13) Imag. ed. Jac. p. 485.

14) Peintures antiques etc. p. 162. Postquam indicavit, sibi de illis tabulis nil dubii relinqui, pergit: mais même, en admettant, contre toute raison, que les peintures décrites par Philostrate comme existant dans un portique à Naples ne fussent en effet, pour cet écrivain que des fictions propres à motiver certaines théories d'art et de goût, son témoignage, en ce qui concerne la

descriptionum, quae post Jacobsii et Welckeri curas satis confirmata esse videbatur, quum exstitit F. Passovius dissertatione recitata apud socios Philomathiae Vratislaviensis illarum Imaginum fidem plane eversurus [15]).

Is de prooemio haec fere dicit: „quaeritur, num huic introductioni aliquid veri subsit, an haec omnia pro fictis sint habenda. Non nego, obscuram certaminis commemorationem, quod rhetoricum fuisse ex contextu aegre conjicitur [16]), et porticus tam locuples egregiarum imaginum, quam homo privatus possedisse narratur, alterum hoc videri mihi probare, commentitia narrari praefatione." Addit, deesse testimonia de arte picturae apud Neapolitanos florente; Aristodemum Carem, qui tantopere praedicetur a Philostrato, nusquam praeterea laudari; denique offendi se descriptione stoae, quae dicatur *quatuor aut quinque* fuisse contignationum. De porticu illa, in qua fuerint tam praeclarae tabulae parietibus insertae haud inviti concedimus, scriptorem aliquid fingere potuisse. Quamvis enim Ignarra, cui adstipulatur Ruhnkenius [17]), porticum eandem habuerit cum ea, quam Petronius respicit cap. 83, tantum tamen abest, ut Italus ille verum viderit, ut ne id quidem certum sit, fuisse omnino pinacothecam, de qua in prooemio agitur, nec quidquam concludere liceat ex fictione loci de veritate descriptionis. Nimirum excogitare tot tam excellentia artis opera si potuisset sophista, inventione summis pictoribus comparandus esset, at locum, ubi illa congesta diceret, cur fingere non licebat, quo speciem colloquii cum puero efficeret? Hoc enim consilium scriptoris erat, ut varias exhiberet descriptiones, in quibus orationis sophisticae lumina splenderent, unde cognoscerent juvenes rhetoricae studiosi, tamquam exemplis, limati et politi sermonis formam. Conjicio autem, Athenis hunc librum prodiisse eo tempore, quo ipse illic sophisticam profiteretur, dictus inde Ἀθηναῖος. Facile tamen largiar iis, qui malunt defendere porticum illam revera exstitisse, aliquid veri subesse illis fictionibus: sumas, peregrinantem Philostratum ἐπιδείξεων causa, quas solebant sophistae in celebrioribus facere civitatibus etiam Neapolin ve-

manière dont ces peintures étaient placées dans le portique en question, n'en conserverait pas moins toute sa valeur etc. Spectant haec ultima ad controversiam de pictura murali et tabularum, quam nuper inter se exercuerunt Letronnius et Rochettus.

15) Dissertatio post mortem auctoris bis est edita, et in „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft" 1826. p. 571 sqq. et in „Franz Passow's Vermischte Schriften, herausgegeben von W. A. Passow, Lehrer am herzoglichen Gymnasium zu Meiningen, Leipzig 1843." p. 223 sqq.

16) Hoc minime dicit Philostratus; gymnicum fuisse agona Neapoli vel ex Dione Chrysostomo cognoscitur or. 28. p. 336. ed. Emperius.

17) Biblioth. crit. II, 1. p. 85.

nisse, Graecam et Graecis litteris deditam, liberaliter ibi exceptum ab hospite, cujus domus picturis abundaret, inde occasionem arripuisse ex tempore dicendi; postea, cum ad scribendum se contulisset, non substitisse in imaginibus illius stoae, sed aliarum quoque, quae ipsi maxime placuissent, adjecisse descriptionem. Quod enim minus accurate designat aedes hospitis dicens ἐπὶ τεττάρων οἶμαι ἢ καὶ πέντε ὀροφῶν, tribuente hoc Welckero negligentiae scriptoris (Praef. LVIII), Passovio vel inscitiae [18]), nobis de industria commissum videtur, ut lectori significaretur, quid vellet sibi narratio praemissa, cujus veritas scilicet anxie examinanda non esset, opportunitatem quaerente sophista colloquii cum puero multis coram adolescentibus instituendi. Ipsius artis praecepta aut historiam iis tradere noluit, quod verba prooemii docent p. 763 (4, 3): „ὅσοι μὲν οὖν κράτος ἤραντο τῆς ἐπιστήμης καὶ ὅσαι πόλεις καὶ ὅσοι βασιλεῖς ἔρωτι ἐς αὐτὴν ἐχρήσαντο ἄλλοις τε εἴρηται καὶ Ἀριστοδήμῳ τῷ ἐκ Καρίας — ὁ λόγος δὲ οὐ περὶ ζωγράφων οὐδὲ ἱστορίας αὐτῶν νῦν, ἀλλ' εἴδη ζωγραφίας ἀπαγγέλλομεν ὁμιλίας αὐτὰ τοῖς νέοις ξυντιθέντες, ἀφ' ὧν ἑρμηνεύσουσί τε καὶ τοῦ δοκίμου ἐπιμελήσονται“ [19]). Inde non consequitur libellum esse inutilem archaeologiae studiosis, nec vero scriptor fastu quodam ductus, quid vellet, aperuit, quasi pro periegeta haberi noluerit [20]), sed rem ita instituit, quia sophista erat, a quo simplex imaginum expositio, qualem ei injungit Passovius, non exspectabatur; hanc operam alii praestiterant, ipse suae arti consulebat, cujus docendae negotium ei munere professoris sophistici imponebatur.

Pergit nunc V. D. scriptorem aggredi machinis suis; duas proponit quaestiones quasi capitales: unam, num Philostratus in descriptionibus istis ea curaverit, quae intelligens spectator maxime observet; alteram, num quae ille ut a se spectata narret, artis ope potuerint oculis subjici. Ad eas respondens

18) Ait p. 227: Welcher Schriftsteller spricht so von einem Gebäude, das er genau zu kennen vorgibt? Ist aber, was man gern einräumen wird, die Zahl der Stockwerke in diesem Zusammenhange gleichgültig, wozu dann überhaupt eine Erwähnung, die schlechter ist als keine, und am Ende nichts als die Unbeholfenheit ihres Urhebers zu Tage bringen würde?

19) Non recte vertit haec Lindau: „Wir erstatten von Werken der Malerei einen Bericht, den wir gesprächsweise für junge Leute abfassen, *um sie daraus verstehen zu lernen und auch Sinn für das Aechte zu gewinnen.*“

20) l. c. p. 228. „Mir scheint Philostratos bei seinem Vorworte nur den Zweck im Auge gehabt zu haben, grade das zu verhüten, wodurch die neuesten Forscher ihn haben ehren wollen, nicht aber aus Aufrichtigkeit, sondern aus Eitelkeit. Denn der Dünkel, den er mit allen seinen Kunstgenossen theilte, würde sich gewiss schwer verletzt gefühlt haben, wenn man ihn für nichts weiteres als für einen einfachen Exegeten oder Hermeneuten genommen hätte.“

exprobrat sophistae, quod non attenderit nec formam tabularum nec lineamenta figurarum, nec colores. Idem hic regerere licet, quod antea: nil effici tali reprehensione, cum consilio, quod auctor sequebatur, accurata exploratio et expositio earum rerum, quae ad rationem exercendae artis pertinent, excluderetur; neque propterea Imagines nostrae iis carent, quae advertant artifices et artis peritos. Negat quidem hoc censor severus [21]), sed frustra: alioquin non tam saepe adhibuissent summi auctores archaeologiae inde a Winckelmanni [22]) aetate ad nostram hunc librum, neque admirati essent egregias hujus pinacothecae picturas, quae, ex Passovii quidem sententia, non pictorum inventioni debentur, sed — magna sane laus — ipsius rhetoris nostri. Quamquam hoc minime cogitavit, id agens, ut eum illustrandis picturis parum idoneum fuisse demonstret. At quî potest divinari, quid fuerit ille praestiturus, si voluisset hoc ipsum instituere, quod postulat Passovius?

Jam his non contentus etiam longius procedit, et plane pro imaginationibus has imagines venditare velit [23]) sic disputans: „Quod vero maxime damnat hunc librum, hoc est: scriptor in his picturis ponit, quae in nulla potuere spectari. Ante omnia advertit nos prorsus violata temporis unitas et loci.“ Enumerat capita nonnulla, in quibus hoc vitii commissum esse arbitratur, deinde, quamvis quaedam recentis aevi opera ipse laudet, in quibus tempore locoque dissita exhibeantur, tamen pergit [24]): „at ex his exemplis minime sequitur, magnam Graecorum pictorum seriem eadem perversitate terminis suae artis migratis ausos esse facere, quod solis poetis licet.“ Itaque Badenium, Heynium, Welckerum vituperat, qui divisione picturarum ex hac difficultate sese expedierint. Colligas ex ejus verbis, tantum non omnia capita eodem

21) l. c. p. 234. „Es geht aus den dargelegten Wahrnehmungen unleugbar hervor, dass der Redekünstler — wenn er nach vorhandenen Gemälden gearbeitet hätte — seine Aufgabe so schlecht wie nur irgend möglich gelöst und nur das Eine bewiesen haben würde, dass er auf dem Gebiet der Kunst ein Fremdling sey. Aber auch als Beitrag zur Archäologie der Malerei ist die Schrift werthlos, weil sie das auslässt, was vor allem zu erwarten, ja zu fordern war, während sie gibt, was nicht zur Sache gehört, und an die Stelle besonnener geschichtlicher Ueberlieferung ein alle Kunst vernichtendes Nebeln und Schwebeln ungeregelter Einbildungskraft setzt.“

22) Cf. Geschichte der Kunst ed. Donauoeschingen III, 106. 137. IV, 203. ibique H. Meyeri notam, IV, 290. 332. 346. V, 111. 133. 134. Mitto Boettigeri, Zoegae, C. O. Muelleri aliorum locos, quibus Imagines nostrae laudantur.

23) l. c. 232.

24) l. c. 233.

laborare vitio, si vitium est, quod saepissime sibi permisit ars Graeca [25]). At res neutiquam ita se habet: ex sexaginta quinque imaginibus vix nona pars requirit divisionem, nec potuit ipse Passovius plura afferre exempla; sunt potissimum haec: Herculis pugna cum Antaeo, idem inter Pygmaeos, Penthei interitus, Achillis apud Chironem educatio; praeterea Bospori panorama eosdem homines diversa agentes offert, etiam Aprorum venatio duplicem videtur habere actionem, nec dubitaverim Mercurii natales in duas saltem partes distribuere, debuit enim, ni fallor, boum surreptio indicari, ut intelligeretur, qua de caussa Apollo cum Maja altercaretur [26]). Non hujus generis habenda sunt prooemia et transitus explicationis gratia adjecti; nulla sane inde existit scriptori exprobratio, tribuenti aliquid lectorum intelligentiae, qui multa similia vidissent aut ipsa illa, quae describit. Praeter haec vituperat Passovius nonnulla, quae ipsius judicio non poterant repraesentari, ut quum Themistoclis et *ὑμνητριῶν* significantior vultus ita describitur, ut illum apud Persas ipsorum sermone loquentem, has Sapphica carmina canentes audire tibi videaris. Nec vero hic quidquam ad rem facit luxuriantis ingenii lusus. Summam denique *τῶν ἀδυνάτων* invenisse ille sibi videtur in I, 20, cujus versione vernacula facta [27]) haec subjungit: „Etsi non denegem huic idyllio vividae descriptionis et aptae conclusionis laudem, tamen absurda sunt omnia et inepta, si picturam imagineris. Cur absit Marsyas, non indicatur diserte, neque argumentum picturae inde illustratur. Jam magna incredibilium turba ad nos accedit: qua ratione intelligatur Olympum tibicinem vicissim canere et ludere, qua ros cum sudore misceatur, qua adspiret tibicen Zephyro, qua soneut calami prope Olympum collocati, qua nascantur variae Satyrorum libidines, qua remanserit in una tibia calor a spiritu juvenis — haec omnia me non intelligere fateor."

Quid autem, si illa *ἀδυνάτων* turba extemplo evanescat? id quod levi correctione verborum non sanorum *καὶ ᾠδαὶ δὲ* efficietur. Hac quidem confisi lectione complures illarum tabularum exegetae satyrum canentem exhibitum fuisse existimaverunt, unde *αὐλῳδὸς* appellatus est a Welckero. Aliquid de vitio loci suboluit Jacobsio, qui lacunam hic esse arbitratus excidisse suspicatur *καθημένῳ παρὰ τὸ ὕδωρ καὶ αὐλοῦντι*, deinde legitur *καὶ ᾠδαὶ δὲ μετὰ τὴν αὔλησιν.*

25) Cf. Tölken, Ueber das verschiedene Verhältniss der antiken und modernen Malerei zur Poesie p. 22.

26) Dicit 41, 24 (801): *βοῦς νεμομένας ἐν τῷ τοῦ Ὀλύμπου προόδῳ, ταύτας δήπου τὰς χρυσόκερως καὶ ὑπὲρ χιόνα λευκὰς — ἄγει στοβῶν ἐς χάσμα τῆς γῆς*, haud dubie *δεικτικῶς*

27) l. c. 234.

Illis insertis hic locus minus offendit legentem. At difficultas, quae in sententia est et quam urget Passovius, sic non tollitur. Sequentia vetant nos de cantu cogitare; inepti enim erunt satyrorum gestus, si Olympum canentem cogites, neque potest, qui canit, dici spiritum ex alto pectore cum vi quadam ducere, cum boni sit cantoris occultare hunc ductum spiritus, nec vero *πνεῦμα* idem est atque *ἆσθμα* [28]). Ne multa, non canentem hic intuemur Olympum, sed dormientem. Scribo enim *καθεύδει*, in quam correctionem incidi jampridem, nondum cognita Passovii dissertatione. Vides totum scenae habitum nunc conversum esse. Satyri circum amabilem adolescentem saltant, alto somno captum; osculari gestiunt; exgergefacere verentur. Cetera adjecit rhetor tamquam ornatum descriptionis. Nostra emendatione confirmari videtur altera, quae Jacobsio debetur, *ὁ δὲ ἀντιπνεῖ τῷ ἀνέμῳ.*

Vides, Vir Humanissime, ex hoc uno exemplo satis liquere, Imaginum crisin vel post egregias curas senis summe venerandi, Jacobsii, nondum eo perductam esse, ut obsequendum sit amico cuidam nostro manum de tabula tollere jubenti. Lubet hoc monstrare alio capite, abs Te in notis Plotinianis [29]) doctissime illustrato, Narcissum dico, in quo media 37, 6 (797) sic corrigo: *σὲ μέντοι* [30]), *μειράκιον, οὐ γραφή τις ἐξηπάτησεν, οὐδὲ χρώμασιν ἢ κηρῷ προστέτηκας, ἀλλ' ἐκτυπῶσάν σε τὸ ὕδωρ, οἷον εἶδες αὐτό, οὐκ οἶσθα, οὔτε τὸ τῆς πηγῆς ἐλέγχεις σόφισμα, νεῦσαι δέον* [31]) *καὶ παρατρέψαι τοῦ εἴδους καὶ τὴν χεῖρα ὑποκινῆσαι καὶ μὴ ἐπὶ ταὐτοῦ ἑστάναι, σὺ δ', ὥσπερ ἑταίρῳ ἐντυχὼν τἀκεῖθεν περιμένεις. εἶτα σοι ἡ πηγὴ μύθῳ χρήσεται* [32]); *οὗτος μὲν οὖν οὔτ' ἐπαΐει τι ἡμῶν, ἀλλ' ἐμπέπτωκεν ἐπὶ τὸ ὕδωρ αὐτοῖς ὠσὶ καὶ αὐτοῖς ὄμμασιν, αὐτοὶ δὲ ἡμεῖς* [33]), *ὥσπερ γέγραπται, λέγωμεν· ὀρθὸν ἀναπαύεται ἐναλλάξαν* [34]) *τὼ πόδε τὸ μειράκιον, καὶ ὑπέχον* [35]) *πεπηγότι τῷ ἀκοντίῳ ἐν ἀριστερᾷ κτέ.* Addo finem descriptionis, quae Abderi funus complectitur, 94,

28) Istud a Nostro saepe de dormientibus usurpatur, cf. Imag. 27, 7. (786) *οἷον, ὦ Διόνυσε, καὶ ὡς ἡδὺ τὸ ἆσθμα* 36, 1. (796) *καθεύδει δὲ ὑπὸ τοῦ οἴνου τὸ ἆσθμα ἕλκων ὡς ἐκ μέθης.* 90, 18. (847) *παντὶ τῷ στέρνῳ τὸ ἆσθμα ἐφέλκεται χανδὸν ἐμπιπλάμενος τοῦ ὕπνου.*

29) In editione peculiari Plotini de pulcritudine Praef. LXI, sqq.

30) *σὲ μὲν τὸ* vulgo.

31) Vulgo *τε*, in bonis libris *δὲ* legitur.

32) Cf. Plotin. de pulcr. Praef. LXII.

33) *ἡμεῖς δὲ αὐτὸ* vulgo, optimi codd. *αὐτὸ δὲ ἡμεῖς.*

34) *ἐναλλὰξ* vulgo.

35) *καὶ τὴν χεῖρα ἐπέχον* vulgo.

19 (850): *τὰ μὲν δὴ δάκρυα τὰ ἐπ᾽ αὐτοῖς καὶ εἰ δή τι περιεπτύξατο αὐτῶν ἢ ὀλοφυρόμενος εἶπε καὶ τὸ βαρὺ τοῦ προσώπου τὸ ἐπὶ πένθει δεδόσθω καὶ ἄλλῳ ἐραστῇ, ἐχέτω*[36] *τι καὶ ἡ στήλη γέρας ἐφεστηκυῖα καλοῦ*[37] *σήματι, ὁ δ᾽ οὐχ ὅπερ οἱ πολλοί, πόλιν δὲ*[38] *τῷ Ἀβδήρῳ ἀνίστησιν, ἣν ἀπ᾽ αὐτοῦ καλοῦμεν, καὶ ἀγὼν τῷ Ἀβδήρῳ κείσεται, ἀγωνιεῖται δ᾽ ἐπ᾽ αὐτῷ*[39] *πυγμὴν καὶ παγκράτιον καὶ πάλην καὶ τὰ ἐναγώνια πάντα πλὴν ἵππων.*

Atque haec hactenus, longius enim ne progrediar, *ὧραι* **monent** *ἐπειγόμεναι*.

36) *τῷ ἐ. π. δεδόσθω, καὶ ἀ. ἐ. ἄλλο, ἐχέτω* vulgo.

37) *καλῷ* vulgo.

38) *δὲ* videtur requiri oppositis. Vulgo *πόλιν τε*.

39) *ἐπ᾽ αὐτῷ* boni codd. vulgo *ἐν αὐτῷ*.